



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Monasticum

In Quo Totius Religiosæ disciplinæ Casus, Regulæ & difficultates clarè videntur, breviter explicantur & resolvuntur Canone, rationibus & Patrum auctoritatibus

Philippus <a Domina Nostra Septem Dolorum>

Augustæ Vindellicorum, 1688

Cap. XXXVII. De Capitulis Regularium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40761



CAPUT XXXVII

De Capitulis Regularium.

SUMMARIUM.

- I. *Quid sit Capitulum, & quotuplex.*
- II. *In quo consistat auctoritas Capituli.*
- III. *Quanam sit potestas Capituli, & in quo tractare debeat.*
- IV. *An Capitulum habeat plenam & omnimodam potestatem.*
- V. *An possit nova statuta condere, & etiora prioribus.*
- VI. *Quando & in quo loco debeant celebrari.*
- VII. *Quas condiciones habere debent generaliales Capituli.*
- VIII. *De Capitulis Provincialibus, intermediis, & conventualibus.*
- IX. *Quid possint Capitula Provincialia.*
- X. *An Provinciales de jure teneantur petere licentiam pro celebratione Capituli à constitutionibus præscripti.*
- XI. *An*

An quodlibet Capitulum possit exercere
actus jurisdictionis, quos Prælati
exercere possunt.



Capitulum aliquando sumitur pro loco ubi res tractantur; aliquando etiam pro loco lectionis faciendæ, aut culpæ dicendæ: hinc verò sumitur pro diæta seu Congregatione regularium: Undè definitur, Adunatio plurium Capitulorum pro re aliqua, seu negotio ad Regule statum pertinente. Dividitur in Generale, Provinciale, & Conventuale. Generale, in negotiis totius Ordinis; Provinciale pro negotiis Provinciæ, & Conventuale pro negotiis Conventuum. Quibus accedunt Congregationes particulares, quæ aliquando sunt Generale pro negotiis totius Religionis; & Provinciale pro negotiis Provinciæ, quæ communiter nos Capitula intermedia vocantur. Qui ad dicta Capitula debeant convocari, & suas constitutiones aut regulam in-
II. Cujuscumq; Capituli auctoritas consistit majori & saniori parte, ita quod facere dicatur totum Capitulum, quod major & sanior pars fecerit. *cap. cum in cunctis, de his quæ sunt &c. refer in Sum. verbo capitulum.* Major verò &



& sanior pars ea dicitur, quæ majori rationi & pietati innititur. *Rodericus tom. 3. qq. regular. observat. q. 13. art. 9.* Communiter vero major pars dicitur sanior pars: si tamen major pars delinquit. *VIII. & ideo privetur potestate ipsi competente, ut in lib. 2. cap. bona memoria 1. & cap. cum nobis de electis tunc tota potestas Capituli residet in minor parte, quæ non delinquit cap. 1. de his que sunt majori parte.*

III. Potestas verò Capituli in multis consistit. *I.* potest Capitulum Generale regulam collapsam, & relaxatam ad pristinum statum restituere, obligando subditos ad observantiam illius sic restitutæ; quia hæc restitutio non est contra regulam, imò maximè concernit ipsam. *vester verbo religio 6. q. 6. Peyrinis tom. 1. de dicitur q. 1. de obed. §. 3.* Non potest tamen Capitulum generale ultra regulæ dispositionem procedere. *II.* Potest Generalem eligere, componere, & punire, illius auctoritatem minuire, & restringere vel augere, & tempore, quo condere leges seu constitutiones totam Religionem obligantes. *III.* Potest restringere & tollere, imo & omnino tollere in usu quorumcunq; privilegiorum Apostolicorum. Si enim hoc possunt Prælati majores, dixerimus, multò melius hoc poterit Capitulum generale, quod est supra omnes Prælatos illorum restrictio, moderatio & ablatio conducit ad reformationem. *IV.* Potest etiam

rationi de curare aliquos casus graves pro Religionis
q. regulari, observatione, aut conscientiae puritate, maturâ
pars dicitur, si in illa præmissâ, non obstante Decreto Cle-
delinquunt. VIII. 1593. Suarez 4. tom. de Religione
cente, ut in illi, 8. lib. 2. cap. 18. n. 15. & hoc idem Ponti-
is de illis permittit in eodem Decreto; non quidem
in minoribus, sed novam potestatem Capitulis, sed non au-
qua firmâ, sed eam, quam habebant jure communi jux-
ta privilegia. Potest deniq; Capitulum Ge-
nerale facere respectivè, quod potest tota reli-
gionem. Quod si major pars Capituli in legibus
statutum, et si Pater Genera-
lissimus dissentiat, prævalet sententia
Capituli, & lex tenet, quia potestas adæquata
est Capitulo seu majori parte; Generalis verò
est, nisi unus ex habentibus suffragium &
votum Capitulo, & legi latæ parere debet.
Suarez 4. tom. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 8.
n. 19.
Tractari verò in illo debet præcipuè de reli-
gionis reformatione, de defectuum correctione,
de legitima Superiorum electione, deinde de
rebus ad totam Religionem pertinentibus.
Cetera quæ,
IV. Capitulum Generale habet omnimodam
plenam auctoritatem, tum ex jure communi;
tum quia totam Religionem repræsentat; tum ex
privilegiis summorum pontificum religioni con-
ferentibus. Attendatur tamen præcipuè, ne quid
statuatur in Capitulo, quod sit contra jus
com-

commune, vel Sacros Canones, cum enim omnia Capitula sint inferiora Papæ, non possunt aliquid statuere contra jus commune aut Canonicum quod est à Papa pro omnibus conditum, & ad quem solum pertinet juri communi derogare *cap. quod super his titul. de majorit. & obed. poterunt tamen constitutiones juris communi declarare & innovare, & ubi pœna deficit apponere vel augere, quia hoc est potius jus commune adjuvare, quod licitum est ex cap. 1. de nov. oper. nuntiat. Peyrinis tom. 1. privileg. in consuet. Pyrrhi §. 4.*

V. Non potest tamen nova statuta prioribus arctiora, quæ sint simpliciter supra regulam Ordinis, imponere seu statuere; quia votum obedientiæ obligat tantum subditos ad ea, quæ concernunt regulam, ergo quæ sunt supra, non possunt à prælatis præcipi. *Sylvester verbo religio l. q. 6. Peyrinus tom. 1. de subdito q. 1. de obed. §. 1.*

VI. Quando vero debeant Capitula Generalia celebrari, & in quo loco unusquisque Ordinis sui usum & constitutiones inspiciat, apud nos de triennio in triennium celebratur Capitulum Generale alternatim in qualibet ex tribus provinciis, & in loco à Diffinitorio Generali deputando, die & mense à constitutionibus præscripto: Nota tamen, quod dicit *Rodericus tom. 3. 99. regul. q. 47. art. 2. & 3.* Capitula Generalia vix debere celebrari, in quibus parum, aut nihil de Ordinis reformatione agitur, sed aliis negotiis, &

pretensionibus officiorum & dignitatum
impensus impenditus; affirmans ulterius Genera-
& Provinciales in hoc negligenter & ad mo-
reformationem & correctionem non inten-
dentes, non liberari à peccato mortali.

VII. Gremiales seu Patres capitulares Capi-
tuli debent habere sequentes conditiones; scili-
cet, quod sint in sacris constituti, liberi à censu-
& impedimento canonico, privatione vocis
& inhabilitate ad munus eligendi, non excom-
municati majori excommunicatione, suspensi ab
officio, interdicti, aut irregulares, & habere æta-
tem in constitutionibus cujusq; Ordinis præscri-
ptam ut eligi possint.

VIII. De Capitulis Provincialibus, Inter-
mediis & Conventualibus, ista habent eandem
auctoritatem vel minorem auctoritatem, quam Capi-
tulum Generale, juxta diversorum Ordinum di-
versas statuta & constitutiones, Capitulum vero
conventuale, quod ab immediato Prælato Mo-
nasterij habetur cum fratribus, illius auctorita-
& potestatem habet, quam ipsi concedunt
constitutiones & consuetudines Religionum, &
potest facere id totum, quod facit Conventus,
Conventus Provinciale id totum, quod potest Provin-
cialis, præsertim cum illud constet ex nobiliori
parte Monasterij. Hoc autem capitulum con-
vocare pertinet ad Priorem, vel in ejus absentia
Subpriorem, aut antiquiorem ex absentia
ceteris; tamen sine Prioris consensu contra-
here

n



here vel aliud facere non possunt. De aliis huius Capituli circumstantiis recurrendum est ad constitutiones cuiusvis Ordinis & consuetudinem uniuscujusque.

IX. De Capitulis Provincialibus dicendum est sicut de Generalibus proportionaliter: possunt enim condere statuta seu leges pro Provincia reformatione, regulæ & observantiæ perfectiori custodia, morum reformatione, & Controversiarum decisione, Fratres omnes Provinciae, ipsum quoque Provinciale eligere, deponere, & punire, nisi peculiaria obstant statuta, ipsius Provincialis auctoritatem minuere vel auferre, quæcunque Privilegia etiam Apostolica Fratribus concessa, limitare, restringere, vel etiam tollere, aliquos casus propter gravia crimina reservare, non tamen præcipere aliquid aut statuire, quod sit supra regulam aut jus commune. Ejicere autem incorrigibiles non est munus Capituli Provincialis. *Lex anat. 1. part. 2. cap. 12. n. 18. de capitulis regul.*

X. Provinciales possunt inconsulto Superiore celebrare Capitula à Constitutionibus præscripta certo tempore, quando in illis Superior non debet præsidere, vel alius ejus nomine; quando vero non est tempus statutum, expectanda est licentia Superioris, aliter celebrata, sunt nullius valoris. 1. partis ratio est, quia, cum Provincialis sit caput Provinciae, alterius capitis licentia non indiget; tum, quia constitutiones

iones seu regulae tempus praefigentes conti-
 neant licentiam cujuscunq; Superioris, tum, quia
 non necessario faciendum est, sine licentia fieri
 potest & debet. *Gloss. arg. cap. 2. de temp. ordin.*
et verbo licentia. per l. quae sub conditione §. si-
cut. ff. de cond. instit. Tum, quia Provincialis in
 jurisdictione aequiparatur Episcopo, qui, sicut in
 congreganda Synodo, non eget licentia Metro-
 politani, ita neque Provincialis Superiore Ge-
 nerali: 2. pars, quod requiratur licentia, quan-
 tum tempus non est determinatum, neque ipse
 Provincialis est praeses Capituli, probatur, quia
 Capitulum subsistere non potest sine capite &
 a quo denominationem accipit: tum,
 quia monstruosum est aliquid esse sine capite,
 quo nihil potest esse. *Gloss. verbo centum.*
cum nobis 14. de praescript. quod vero actum
 sine licentia sit nullum, constat, quia valor cujus-
 que actus pendet a voluntate & potestate agen-
 tis. *cap. cum super 23. de offic. deleg. Roderic.*
3. q. 54. art. 6. §. 3. sed Provincialis cum
 potestate, licet non careat voluntate, caret
 potestate, quam accipere debet a Superio-
 re majore; ergo acta attentata nullius sunt
 in rebus aut roboris *Bord. resolut. 58. n. 7.*

II. Quodlibet Capitulum, sive Generale,
 sive Provinciale, sive locale, exercere potest
 omnes actus jurisdictionis, quos jure ordinario,
 nisi ex privilegio, exercere possunt Praelati reli-
 giosorum.

gionum respective, scilicet Capitulum Generale quos Generalis, Provinciale quos Provincialis, & Locale quos Prælatus localis, ita ut possint dicta Capitula, sicut illi, imponere censuras, & ab illis absolvere, dispensare, & commutare vota, concedere facultates, & licentias Fratribus, providere officia &c. secundum tamen statuta & jura religionis. Quæ autem efficere possunt dicti Prælati ex potestate ordinis, ut puta audire confessiones & administrare Sacramenta, hæc non possunt competere Capitulis; sunt enim actiones personales; ita *Lexana,*

verbo capitulum

num. 6.



CA-